Cracovien. Exemptionis

Super Circumscriptione.

In Rota diei 14. Aprilis 1777. = Dilata.

Stantibus &c.

Dubium = *An sit locus Circumscriptioni in casu &c.*

1 **Rev. Pater.** QUemadmodum observatum fuit *in nostro jam distributo Restrictu super exemptione in genere*, Promothor Fiscalis Curiæ Cracoviensis ab eo instigatus Cyrillo Zuchovvski nostri Ordinis Religioso, non obstantibus Apostolicis Exemptionis Privilegiis, nec obsttante pacifica ejusdem Exemptionis Possessione, nec juvantibus demum specialissimis Superiorum Iudicum Inhibitionibus, ausit in Curia sua lacessere R̃mum D. Matthæum BuydecKi emeritissimum Generalem Ordinis SSm̃i Sepulchri, quasi centenis adversus illum excitatis turbis tum circa temporale, tum circa spirituale ipsius Ordinis gubernium; quodque infandum meminisse est, vices una simul gerens Partis, & Iudicis, non dubitavit, tria evulgare Mandata, *primum* concernens Prohibitionem Usus Pontificalium; *alterum* suspensionem Confessariorum Ecclesiæ Miechovien, *postremum* verò respiciens publicationem Censurarum, & Cedulonum Affixionem contra eosdem Generalem, & alios Conventus Miechovien Religiosos, cum adjecta *inhibitione* Procuratoribus, & Notariis quibusvis, ne illorum susciperent aliquam defensionem, ut demonstratum est *in præfato nostro Restr.* §§. 16.17 18., & 19. Horum omnium Actorum jure petitam *Circumscriptionem* Supremum Signaturæ Tribunal ablegavit etiam Sac. huic Auditorio: Cumque de ea disceptari modo contingat, nil veremur, quin Religiosissimi PP. ad tramites præinserti dubii sint responsuri = *Affirmative* =, velut humillimè deprecamur.

2 Et jure quidem, meritoque: Si enim ex Pontificiis Privilegiis vetitum erat = *omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, ne in Præpositum de Miechovia, Fratres, & alios exemptos hujusmodi Jurisdictionem, Superioritatem, Visitationem, dominium, aut potestatem aliquam exercerent &c.*, *Sique illi una cum omnibus Bonis sub B. Petri, & S. Sedis protectione suscepti fuerant*, uti egregie testantur tot Apostolicæ, Bullæ, & maximè *Leonis Papæ X.* ultimo loco confirmatæ *ab Innocentio XI.* quas plenius recenset *idem noster Restr.* §§. 35., *& sequen.*; Si rursus iidem Præpositus, & Fratres in ejusdem exemptionis Possessione tranquille quiescebant, veluti apprimè commonstrant tanti jurisdictionales Actus, tot Episcoporum di-

disertæ Confessiones, tot validissima, & judicialia Monimenta, ac ipsa præsertim, quæ nulla ratione potest e elli, Rotalis Sententia anni 1760. edita contra Episcopum Præmisliensem, & in authoritatem prolapsa *rei judicatæ*, quæ omnia fusiori calamo refert *præd. Restr.* §§. 21. *ad* 33. in planum descendit consequens, ut circumscriptionis ope debeat recidi, quidquid à Promothore Cracoviensi gestum fuit contra eosdem Regulares exemptos in spretum Apostolicorum Privilegiorum, & in læsionem pacificæ illorum Possessionis. *Quandoquidem si sufficit sola ostensio Privilegii Exemptionis, ad hoc ut Episcopus debeat supersedere, donec cor. Superiore cognoscatur de jure suo; quanto magis hoc est affirmandum, quando, ut hic, sumus in claris, Reum conventum non esse de sua Jurisdictione*=, ut per hæc verba dixit *Rot. in dec.* 47. *n.* 5. *&* 6 *par.* 15. *Recent.*, & observavit *in Theatina Jurisdictionis* 14. *Maii* 1708. §. *Præcipua ratio cor. Scotto*.

3 Reponere non juvat, quod in concernentibus Animarum Curam, & in Spiritualibus valeat Ordinarius explicare suam jurisdictionem etiam in exemptos absque ulla nullitatis labe: Principio enim advertendum est, quod non omnes prætensiones, à Fiscali Cracovien. suscitatæ contra nostrum Generalem pertinebant ad Spirituale. Immo primæ molestiæ respiciebant tum solutionem assertarum decimarum faciendam Cyrillo Zucchovvski, tum revocationem juris creandi Notarios, & comportationem Privilegii Prothonotariatus, tum dimissionem juris deputandi Fiscalem, & extendendi pœnas contra Regulares sui Ordinis, tum abrogationem pœnarum inflictarum præd. Religioso Cyrillo Zucchovski, ut videre est *ex nostro distributo Sum. n.*49. *lit. A. ad lit. H.* Sicut autem hæ omnes prætensiones, sive Actus nil commune habebant cum Cura Animarum, respiciebantque regimen temporale ipsius Ordinis ex dispositione juris, & possessione Facti spectans ad Generalem, ita firmum remanet, easdem molestias, & Actus nonnisi in vilipendium exemptionis potuisse traduci ab Episcopo in Curia sua, ideoque merito esse circumscribendos: Cæteri vero actus utcumque concernerent Animarum Curam, & Spirituale Gubernium, semper tamen & ipsi redeunt coinquinati labe Nullitatis. Firmato enim *in præt. Allegat. nostra quod Curam Animarum*, quod Monasterium Miechovien sit caput Ordinis, ibique resideat Generalis Præpositus, jam in proclive est, ut nec quoad Curam Animarum ullam sibi posset arrogare jurisdictionem Episcopus, sed hæc omnimode etiam in pertinentibus ad d. Curam Animarum competeret ipsi Generali Præposito tum attenta Conciliari Sanctione, & Benedictina Constitutione, tum inspecta jugiter retenta, eaque pacifica d. nostri Generalis Possessione, ut fugatis equivocis contrariis abunde probavit *eadem nostr. Allegatio*, ac fusius demonstravit *Resp. nostra*.

4 Et ex alia etiam ratione circumscribendi sunt isti contrarii Actus,

& Man-

& Mandata. Gesta enim illa fuerunt, postquam præsentatum fuerat Fiscali Cracovien. Monitorium nostrum exportatum ab A.C. super exequutione Privilegiorum Apostolicorum, nec non super Manutentione in Possessione Exemptionis ab omnimoda Ordinarii Cracovien jurisdictione cum specialissime *inserta inhibitione*, ne quidquam è contra innovaretur, eoque minus idem Præpositus Miechovien, & Fratres Ordinis sui molestarentur, ut *in Summ. n.* 50. *lit. C.*, *&* *n.* 51. *lit. B.*, *&* *D.* Nemini vero dubium esse potest, quin contrarii Actus, & Mandata relaxata in contemptum Authoritatis, S. Sedis, & adeo disertæ inhibitionis apertissimo subsint nullitatis vitio, ideoque sint circumscribenda. Potissimum quia, & ipse Reverendissimus Nuncius Apostolicus, ad quem Principales undique divexati confugerant, illorum Actorum, & Mandatorum Nullitatem conspiciens evidentissimam, *eadem omnia Mandata, Citationes &c. alias ATTENTATE, ET IN SPRETUM AUTHORITATIS S. SEDIS EMANATA suspendit* = ut pandit decretum recolen. in *dicto Summario num.* 52.

5 Et Potiori quidem jure; Nam *in præt. Alleg. nostra quoad Curam Animarum* probatissimam fecimus injustitiam horũ Mandatorũ: Quamobrem cum nullitati comes accedat etiam injustitia, hinc ne momento quidem temporis hæsitandum diù est, ut PP. Reverendissimi circumscriptionis gladio tollant eadem contraria mandata ad eliminandas ulteriores in nostrum Reverendissimum Generalem, nostrumque Sanctissimum Ordinem Episcoporum Vexationes.

Quare &c.

Dominicus Franci.

R. P. D.

AZEDO

Cracovien. Exemptionis
Super Circumscriptione.

PRO

Rmo D. Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Sepulchri.

CONTRA

Rev. D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

A

Facti.

II

Typis Lazzarini 1777.